Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ne quis inmundus ingrederetur illud. Sic et nunc custodit ecclesiam dignos recipiendo, indignos respuendo. Unde et claves ecclesie ab episcopo ei dantur cum ordinatur. Hoc autem officium dominus ipse ipso implevit quando flagello vendentes et ementes de templo eiecit.

Secundus. De Lectoribus.

Secundus ordo lectorum est qui a legendo dicuntur. qui cantant et legunt in ecclesia ut animos audientium ad conpunctionem excitent. Ad quos ex officio pertinet ut prophetias et lectiones in ecclesia legant. Unde et codex divine legis eis dum ordinantur ab episcopo traditur. Sciant quoque habere debent ut distincte que legunt pronunciare et exponere valeant. Hoc autem officium Christus implevit cum librum ysaie apiens in medio seniorum distincte legit. Spiritus domini super me eo quod u. m. ad. a. m. m. me.

De Exorcistis.

Tercius ordo est exorcistarum. qui latine dicuntur adiurantes vel increpantes. Adiurant enim et increpant spiritum inmundum super cathecuminos et in energuminos id est inefficaces. Exorcista quoque ex officio predictis cum exorcismo manum debet inponere. Unde et librum exorcismorum ab episcopo accipit cum ordinatur. Hoc officio dominus usus est quando aures et linguam surdi et muti tetigit et sanavit. cumque et multos demones suo imperio fugavit.

De acolitis.

Quartus ordo acolitorum est. qui latine dicuntur ceroferarii. qui cereos ante ferunt. precipue quando legendum est evangelium. Ad acolitum quoque pertinet lumen in sacrario preparare et portare et suggesta pro eucharistia subdiaconis offerre. Hic cum ordinatur ab archidiacono accipit candelabrum cum cereo et urceolum vacuum. Hoc officium dominus implevit cum dixit. Ego sum lux mundi. qui sequitur me non a. in t.

De Subdiaconis

Quintus ordo subdiaconorum est. ysid.
qui ideo sic vocantur quia inministerii subiacent preceptis et officiis diaconorum. Ad subdiaconum quoque pertinet calicem patenam ad altare deferre et diaconibus tradere. urceolum quoque et aquamanile et manutergium presbiteris et levitis tenere pro lavandis manibus ante altare. Unde cum ordinantur accipiunt ab episcopo patenam et calicem ab archidiacono urceolum cum ceteris. Hoc officio dominus usus est quando lintheo se precinxit.